

Q. F. F. Q. S.

DISSERTATIO GRADUALIS,

SCANDIANORUM
 SEQUIORIS ÆVI
 RELIGIONEM
 SIGNORUM
 MILITARIUM

Leviter adumbrans,

QUAM,

*suffragante ampliss. Facult. Philosoph.**in Reg. Acad. Aboënsi,*

PRÆSIDE

VIRO CL.

DN. ALGOTHO A.
 SCARIN,

HISTOR. ET PHIL. CIV. PROFESS. REG. ET ORD.

ACADEMIÆQUE BIBLIOTHECARIO,

Ad diem v. JUNII, MDCCLI.

Publico examini modeste defert

PETRUS LAUR. SUNDBERG,

O. GOTHUS.

 ABOÆ, Imprim. Direct. Reg. Acad. Aboëns. Officin.

JACOB MERCKELL.

VIRO

amplissimo atque celeberrimo,

DN. ALGOTHO A.
SCARIN,

Hist. & Phil. Civ. in regia academia Aboënsi PROFES-
SORI, Regiaque bibliotheca PRÆFACTO,

MÆCENATI MAGNO.

CUm celebritate Tua, VIR AMPLISSIME, orbis
continuè irradietur literatus, ausus foret plane
temerarius, si inops verborum, exiguaque pollens
ingenii vi, illam prædicatione mea magis illustrandam
susceperem. De sollicitudine, verbis nunquam satis ex-
primenda, quâ eos semper fovisti, qui ad amœna hæc
Aganippidum litora, studiorum gratia, versantur, con-
venientius quidem esset dicere: at merita Tua, in spes
& fortunas suas, prædicent alii, nisi, in non exigua va-
rietate, etiam eosdem verba deficiant. Me, ad Aboicas pri-
mum adventantem oras, favor Tuus excepit, & quamdiu
hic moratus fui; plura majoraque indies expertus sum be-
nigni-

nigritatis documenta, quam quae possim enarrare, ne
dicam, iusto celebrare praconio. Ignoscas itaque,
VIR CELEBERRIME, humillimus oro, quod venera-
tionis ignem, qui in pectore quidem delituit, illud
verò calidum estuansque fecit, diutius prohibere ne-
queam, quo minus in apertam votorum flammam pro-
rumpat. Servet Te, adolescentiae nostrae custodem &
moderatorem, **SUMMUS** rerum **ARBITER** ab omni
malo sospitem & incolumem, & diem jubeat procul
abesse, quo dulce decus suum desideratura erit res li-
teraria; Familia tua nobilissima se orbatam solatio do-
lebit, & Tua disciplina alumni de fortunâ vertente sua
conquerentur. Sic ex intimo pii atque devoti cordis
recessu optat, & usque optabit

**AMPLISSIMI NOMINIS
TUI**

ad cineres cultor,

PETRUS LAUR. SUNDBERG.

Conspectus Dissertationis.

- §. 1. **I**nstituti rationem explicat.
- §. 2. **A** proposito paullulum facit diverticulum ad externos Gothos.
- §. 3. De Judæis an vero Scythis vexillorum militarium auctoribus? disserit.
- §. 4. Consecrationis signorum, imprimis apud pontificios usitate, meminit.
- §. 5. Eorundem fraudes ecclesiastico-politicas detegit.
- §. 6. De agrorum pratorumque lustrationibus vexillaribus agit.
- §. 7. Gentilium & Christianorum vanitatem colendi tutelares deos divosque perstringit.
- §. 8. Rationem, cur imagines vexillis eorum adpictæ fuerint, reddit.
- §. 9. Famosiora, apud externos religiose culta vexilla describit.
- §. 10. De Danorum labaro, Danebrog, agit.
- §. 11. De S. Eriki labaro Svecorum pauca narrat.
- §. 12. Norvagorum labari, Landsödan dicti, mentionem injicit.
- §. 13. Morem veter. & recentior. signa milit. custodiendi exponit.
- §. 14. Quinam ad primipilare signum gestandum olim adhibiti fuerint, indicat.
- §. 15. De signorum sacellis agit.
- §. 16. Scaldorum, gentilismo durante, nec non sacrificulorum pontific. in castris locum designat.
- §. 17. De judiciis ad militaria signa statariis, agit.
- §. 18. Usus signorum milit. in excutienda servitute ostendit.
- §. 19. De signis votivis agit.
- §. 20. Majestatem signorum hujus gen. ulterius monstrat.
- §. 21. Questionem: utrum in templis adservanda sint vexilla? tangit.
- §. 22. De signis, ignominie causa, missis & erectis agit.
- §. 23. De Illustr. Baneriorum familia pauca addit.
- §. 24. Colophonem, cum voto, dictis imponit.



Q. B. V.

§. I.

ORdini semper & ubique esse studendum, nemo, nisi sensu communi plane destitutus, inficias ibit. Hoc generaliter de omni re. speciatim vero de rebus ad militiam pertinentibus valet; vixque gravior prætendi posse videtur causa vocatorum ad usum militarium signorum, quam ut scirent, qui una mererentur, suæ cohorti quilibet semet adjungere, sicque agmine bene composito, hosti audacius fortiusque obviam procedere. Cumque in proclivi sit decernere, morem hunc eundem a veterrimis retro temporibus repetere cunas suas; existimaverim omnem omnino, qui moris in usum recepti illius auctorem indagare sibi sumerit, operam & oleum perditurum, suumque ab eventu consilium destitutum iri, demum visurum. Id potius dolendum, veri rectique ignorantiam usque adeo imposuisse generi hominum, ut egregium signorum usum, non multo post inventionem eorum, penes se degenerare passi fuerint in turpissimum foedissimumque abusum. Cum enim sensus nostri objectis, præterquam præsentibus, ægre adficiantur; in rebus vero quæ sunt exquisitoris indaginis, nisi usu & institutione accedente, mens nostra suo officio defungi non possit, interdum neque velit: inde passim & ubique fere accidisse invenimus, ut

A

gentes

gentes divinitatem agnoscentes, cum ad immaterialia non nisi ægre & difficulter ascendere possent, rebus sensui obviis opinionem divinitatis affinixerint; generi humano commodæ essent modò res istæ, & cum utilitate aliqua conjunctæ. Imo non ad illas res solum, quæ bona largiri & mala averruncare posse crediderunt, pietatem & preces suas direxerunt, sed cultus sui objectum illa non raro esse voluere, quæ viribus & potentia infra semet longe posita esse viderunt, comprehenderunt. Effet non alienum ab instituto nostro rem gestam omnem ante oculos dare, adeoque illam quoque superstitionem, quamvis leviter, adtingere, quæ pristinum & sincerum usum ejusmodi signorum, etiam apud illos, qui moratiores haberi voluere, post non multo evertit. Ne autem humeris nostris plus oneris sustulisse videamur, quam cui ferendo pares simus, intra SCANDINAVIÆ limites, quantum poterimus, nosmet continere constituimus. Imo, quæ *majorum gentilium* fuerit, signorum religionem excutere neque stat animo sententia, cum de illius ævi inani & frigida væcordia, tractatione peculiari jam ante dictum sit. Nostri instituti erit saltem, religionem vexillorum, cujus apud Christianos olim & hodie, præcipuè verò sub papatu, memoria crebro occurrit, levi adumbrare penicillo; a Te, B. L. ea, qua par est animi reverentia expetentes, ut pro more & amore tuo, si qua parte sine velo remigioque jactari videris tenuem ratem nostram, emergendi conatui saltem grâtiâ veniamque non gravatè concedas.

§ II.
Nostrum neque propositum erit, Gothos, qui hinc tanquam

tanquam a nativo solo in exteras demigrarunt terras, meditatâ commentatiuncula hac ipsâ, comitari, illamque exponere religionem; qua signa illi sua militaria coluerunt. Verbo tetigisse sufficiat, illis a vetustissimis temporibus insigne fuisse *Leonis*. Quod *πράσημον* Christianos factos eosdem, in Hispania præcipuè retinuisse nemo, nisi in historia plane hospes, ignorabit. Ne quid dicam de figura & effigie *tauri*, qua Thorum, hominum factorem pariter atque Deorum, devenerati sunt. Jupiter enim Scandianis *Taur* / Thor (unde *Thordôn*) a tauro nomen adsumere, certe non minimi æstimavit. Formam autem tauri Jovem adsumsisse perhibent mythologi, cum Agenoris filiam *Europam* subducere patriæ & trans mare avehere consilium esse existimavit. Hinc *Allobrogum*, id est, continuatâ a capite ad calcem veste, braccatorum Scandianorum metropolis *Taurinum* dici meruit, & ab illa demum vicini populi Taurini seu Tauritii sunt nuncupati (a). Plura majoribus nostris, cum mutandi soli consilium cepissent, signa militaria usu venisse, & pro ratione diverforum, unde egressi fuere, locorum atque regionum, picta diversimode simulacra quoque repræsentasse prorsus non dubitamus. Verum, cum quod ante pedes est, arctum atque angustum curriculum, non sinat altius sese immiscere rebus, quæ ad propositum præcisè non spectant, e brevi diverticulo ad ea, quæ destinaverimus, gradum revocamus.

(a) *Taur* vetus Gothicum, seriem invicem coherentium montium significat. Sic *Taur* voce, excurrentia longè lateque prærupta montium culmina in Asia exprimi constat. Tauro Scythas a Getica humo non longe distantes, inde dictos fuisse, Geographiæ veteris consulti perhibent.

§. III.

Cimmeriæ paganismi tenebræ in plaga nostra septentrionali haud uno potuerunt dispelli momento; sed per plures hominum & seculorum ætates inter gentilismum atque Christianismum fluctuare visa est Scandia. Quam ob rem in prodigium neque trahenda res est, si mores Christianorum primis temporibus gentilismum etiamnum expressisse, multumque adhuc pristinae feritatis inconditam turbam retinuisse nosciterimus. Sed de quo instituto cum jam ante actum sit, idemque sub exemplo militiae *regum* Norvagiæ Christianorum illustratum, ne crambem bis coctam, quod in proverbio prohibemur, adponere velle videamur, istis pluribus immorari non vacat, neque operæ pretium esse videtur. A *Judæis* utrum religionem signorum promiscuè desumerint gentiles, anceps quæstio est. Fatendum specie nullo modo destitui rationes, quæ in illam sententiam moveri solent. Nemini enim ignotum esse potest, Scythas anno circiter 630 ante natum Christum sub rege suo Madya occupasse Palæstinam. Multa quidem regionis loca devastarunt, in aliis tamen magna eorum pars sedes instaurarunt. Superiorem quoque Asiam, ut inter plurimos convenit, octo annis sub imperio tenuerunt, adeo ut impossibile non omnino fuerit, ut secreto religioso illo utriusque commisceri potuerint. At non deerunt, qui Judæis omnem signorum animalia repræsentantium usum denegant, inque robur suæ sententiæ adferre solent interdictionem Divinam, de non faciundo sculptili (*a*). Cujus præcepti, utpote negativi Judæos tenacissimos fuisse **FLAVIUS JOSEPHUS** variis exemplis monstratum

stratum ivit; de illis inter alia narrans, quod **VITELLIUM** prohibuerint, suum per illorum regionem ducere exercitum, caussari scilicet: *ἐκ αὐτοῖς εἶναι πάτριον, περιορᾶν εἰκόνας εἰς αὐτὴν (χώραν) φερομένας, πολλὰς δ' εἶναι σημαίας ἐπιχειμένας (b)*. Sed quod legem adinet Divinam, modo citatam, tenendum, quæ in illa pie & religiose fanciuntur, non devotione præcipiti aliqua ad *civilem* vitam modum esse transducenda. Neque enim usus imaginum politicus interdicitur, in quantum ad memoriam & æmulationem non parum momenti conferre sint censendæ. Igitur supersticiosus atque idololatricus cultus solum prohibetur; a quo certe immunes neque Judæi fuerunt, ut justam habuerit propheta ansam illis exprobrandi, quod secundum numerum & diversitatem civitatum, genere & cognatione discrepantes Deos etiam adorarent (c). Illo verò non lubrico loco stante testimonio de simulacrorum cultura Judæorum, quid est, quod superstitionis genus idem ad actus bellicos sese extendisse omnino inficias eamus? Mihi certe nullus dubitandi locus supereft, quin eorum subscribam sententiæ, qui Regi **DAVIDI**, insigne fuisse *Leonis*, ejusque successores eandem figuram sigillis atque vexillis inferuisse contendunt (d).

(a) Exod. 20: 4, coll. cum Deutr. 4: 16. (b) Libr. 18: c. 7. ant. Jud. (c) cfr. Jerem. 11: 28. (d) cfr. Schörling, *diff. de insignibus Gothorum* p. 6.

§. IV.

INter alios, qui apud Christianos jam olim invaluerit, quasi primo & præcipuo loco sese offert signorum *consecratio*. Per eandem characterem quandam in-

dele-

delebilem rebus imprimi, gentiles opinati sunt. Erantque superstitionis tabe eadem infecti Judæi, ut pro commento novo Pontificiorum, ἐθελοθρησκείας genus illud nullo modo adsumendum esse videatur. In utraque gente de actu uno eodemque *benedictio* & *consecratio* promiscuè usurpabatur. Et si quid discriminis inter utramque notionem intercedere dicendum est, sciendum illam de rebus sacro cultui destinatis, destinandisque prædicari, utpote: campanis, templis, baptisteriis, & id genus ceteris rebus, quæ sine multiplici ceremoniarum apparatu in ritualibus libris eorum descripto, non expiari aut inaugurari potuerunt. Hæc autem, puta *benedictio*, simplicior est actus, quem certis tantum precibus, lustralisque aquæ adspersione ab illis, qui sacris præsident, peragi moris est. Illo vero mediante sacro, rebus religioni non immediate destinatis, utpote: novis arcibus, domibus, vexillis, armis &c. utriusque juris mystagogi primariam impartiuntur benedictionem; ille qui actus majoribus nostris *primisigna* dicebatur. Quantum verò hic ritus a statu Novi fœderis abhorreat, penitior ejus ratio quemque docebit. Nam ceremoniæ istæ, quæ Christum præfigurant, post illius adventum abrogatæ sunt, tanquam libertati christianæ e diametro repugnantes. Licet originem ejus deberi cultui Levitico V. T. jactitent Pontificii, facilius tamen inducimur, ut credamus consecrationem hanc, qualem Papistæ illam exhibent absolutæ necessitatis, a gentilismo rectè demigrasse in Christianismum. Haud dissimulandum est primos veræ ecclesiæ homines consecrationis interdum adhibuisse ritum, sed talem, qualis apud nos hodie

hodiedum existit. Scilicet externi cultus speciei isti nullam affinxere absolutam necessitatem ; sed consistebat actus & ritus summa illius in piis tantum precibus , hymnis gratiarumque actione ; haud aliter ac nosmet hodie quoque oportet ea , quæ propitia largitur DEi manus, dona, non temere arripere, sed pie & reverenter accipere , eademque rationibus nostris commoda esse jubere. Qua vero religione signa militaria, peracta dedicatione, culta fuerint, jam propius videbimus. Neque enim eorum auctoritatis & majestatis luculentum magis aliud exemplum mente concipi potest, quam quod vitam cassâ nuce pluris non aestimaverint, modo vexillum conservarent, aut amissum recuperarent. Prælium inchoarunt nullum, nisi ante exercitum id gestatum fuerit ; eoque facto tectoque, de prospero belli eventu non desperarunt. Quid ? quod signi consecrati tanta apud majores fuit veneratio, ut milites pro rege, vel eo, cujus imaginem ferebat signum, veterum in modum Solduriorum, ad mortem usque sese devoverint. Sic cum ad montem Brunchonis Holmiæ superatus esset CHRISTIANUS I., rex Daniæ, ad vexillum *Danebrog*, de quo in sequentibus, quingentos jacuisse Danos exanimatos memoriæ proditum est ; quo certius vix dabitur documentum, ultima quævis maluisse pati superstitione credulos, quam rem solemni diu lustratam sacrificio, desides & marcentes deserere. Ne de SIXTO ejusdem memoriæ papa IV. quid dicam, qui non dissimili portento, puta religione signorum, Helveticam gentem eo adduxit, ut non pro sede pontificia arma modo caperet, sed pro

pro retinendo in culmine suo papatu, spiritum, quem patriæ deberet, confertim & animose effunderet (a). Incantationibus insuper inserviisse ejusmodi signa passim tradunt monumenta historica, præsertim MATTHIÆ de MECHOVIA, Polonici scriptoris testimonium, qui de suæ gentis, puta Polonorum, exercitu refert, quod cum vexillum litera X signatum in aciem adduceret adversariæ partis vexillifer, in summitate hastilis deterrimi & nigerrimi coloris monstrum cum barba prolixa sese obtulerit, concentu nullo modo harmonico caput movens & linteï extrema ultro citroque quatiens. Inde vero fumum & nebulam horrendi & intolerabilis fœtoris in Polonos diffusam fuisse perhibet, ut qui in aciem convenissent, pene exanimati & viribus ad congregiendum cum hoste defecti redderentur (b).

(a) *cfr. Casaro - Papa Romana p. 136.* (b) *cfr. Chron. reg. Polon. l. 3. f. 133.*

§. V.

Quid per consecrationis aliosque illi haud dissimiles ritus intenderit ecclesia Romana, antequam pedem ultra promovere possimus, non nulla forte præmittenda erunt. Religione nullum firmitus esse vinculum, quo sub imperio civili teneantur homines, in aperto posita res est. Clerus Romanus, ipso dirigente Papa, novum tam ecclesiasticum, quam politicum imperium in christianismum introducturus, opus utique habuit de mediis finem promoventibus cogitare. Hujus autem vix ac ne vix quidem pronior sterni via potuit, quam pro veri cultus, sacrarumque literarum ignorantia propugnando. Densâ cordibus non solum

lum vulgi & princeipum, sed & clericorum plurimorum obducta caligine, superstitionum patronis palman ultro sese obtulisse non mirabimur. Singula Pontificiorum decreta jam quasi ex tripode accipiebantur, & per fraudes varias, pietatis larva indutas, potestati papali facilis ad fastigium reddebatur adscensus, haud secus ac apud gentiles imperantes multos, sacerdotes, immo philosophos reperimus, qui ambitionis cæstro perciti, optime calluerunt artem superstitionum facem accendendi, ne eorum sufflaminaretur dignitas. Genus se a Diis ducere, cum illis multum sibi esse consvetudinis, leges aliaque salutem reipublicæ spectantia consilia ab illis sibi tradita esse jactitarunt, vulgoque persvadere summa ope nisi sunt, quo firmum molitionum suarum jacerent fundamentum. Quod etiam inter arcana imperii recenset *VARRO* apud *AUGUSTINUM* dicens, "utile esse in civitatibus, ut se vi-
ri fortes, etiamsi falsum sit, ex Diis genitos esse credant, ut eo modo animus humanus, velut divinæ stirpis fiduciam gerens, res magnas adgrediendas præsumat audacius, agat vehementius, & ob hoc impleat ipsa securitate felicius." (a). Religionem pontificiorum, de qua dicere cœpimus, statui implexam fuisse, nostrum quis non novit? Papam suæ addictos religioni, fucato pieratis zelo, & superstitionis vanitatibus hodie quoque, ceu infantes crepundiis deludere, cui incognitum esse potest? Sua cum interesse animadvertit, ut contra quoscunque sibi inimicos, potestatem quandam commoveat, eidem mittere solet consecratum gladium, quod virtutis incitamentum firmissimum, victoriæque

obtinendæ pignus erit certissimum. Ad placandam numinis iram, eadem virtute signa quoque imbuta esse, agmini præsidio & tutamini consecrata, sacrificuli imperitæ ac rudi plebeculæ neque difficulter inspirant; id quod in sequentibus pluribus visuri sumus.

(a) *De Civit. DEi Lib. 10.*

§. VI.

AD vexillares agrorum pratorumque lustrationes excutiendas jam ferimur. Fuit lustratio apud præfatos Romanos ritus quidam expiationis, Diis, variis sacrificiis, variisque modis exhibendus. Quare lustrationes in agris, in exercitiis, nec non in urbibus factæ apud scriptores occurrunt. Celeberrima tamen fuit agraria lustratio, cui inde Ambarvaliorum accessit nomen, quæ iterum aut publica aut privata fuit. Hanc quivis patertamilias domi instituere poterat; illa autem a fratribus Arvalibus peragebatur, qui suam, porcæ præcidaneam dictam, ter circa agros portarunt, sub certâ precationis formulâ. *Cereri* deinde sacrificarunt, cum ut gratitudinem deæ testificarentur suam, tum ut annonæ ubertatem in posterum impetrarent & noxiæ a frugibus depellerentur bestiolæ (a). Cum nefanda pontificiorum & monachorum, non unius generis atque loci, absurda pietas in patria nostra increbesceret, ingruente fame, paganicæ & perinde idololatricæ circa agros & prata crebro quoque institutæ fuere processiones. Circumgestandis ultro citroque sanctorum reliquiis præferabantur vexilla, quæ ab interveniente solemnî cleri populique comitatu, populo nostrati processions sanor insigniebantur. In
temple

templo Uplandiæ **BIRGERI** consecrato nomini; e vetustatis naufragio exemplum suâ ætate unicum instituti illius se vidisse adfirmat **HADORPHIUS** (b). Et auctor dissert. de Angermanniæ facie antiq. & nov. duorum itidem mentionem facit; quæ hodieum in templo **Sånga** adservantur. Et procul dubio tale intellexit **GUNDLINGIUS** vexillum, cum penes suam gentem machinamentum usu venisse ait, quod **DEI** hostibus, puta cicadum & vermiculorum gregibus oppositum fuit. Furfuris ac indolis ejusdem fuisse altaria portatilia putarim, quorum quoque frequens fuit in veteri ecclesia usus, an vero abusus. Missam sine altaribus ab episcopo consecratis celebrare nefas judicarunt pontificii, siquidem sub iis recondere solebant reliquias Sanctorum, quas in sacris rite perfungendis utramque facere paginam inveterata fuit opinio. Altarium itaque portatilium seu viaticorum non alia fuit ratio, quam, ut illis in locis, ubi minus in promptu essent solemnes aræ, earum ista vicem explerent (c). Ejusmodi portatilium usum concessit **CALIXTUS** papa III. Holmensibus, cum, regnante **CAROLO CANUTI**, principe incluto, malis undique pressis, tesseram eandem, ceu unguentum spirituale ex apotheca Capitolina, æstus sui solatio & refrigerio, redimere expetiverunt (d). Quin, abs sanctuario, seu externæ sanctitatis opere isto neque multum abluere censendum est templum portatile, quod **CONSTANTINUS M.** exstruendum curaverat, inque præliis sibi præferri constituerat, ne ubicunque vitam ageret, ei deesset facellum, in quo sacra obire possêt (e).

(a) Cfr. Pl. Rever. Wennerdal. Onomast. (b) In observ.
ad Scheff. de trib. cor. (c) Cfr. Bingham. ant. eccl. V. 3. l. 8.
c. 6. §. 21. p. 246. (d) Cfr. Roberg. prof. admirac. S. crucis Stockb.
(e) U. Hildebrand. Enchirid. de prisca & primit. eccl. sacris p. 32.

§. VII.

Ad illam verò gentilium ut & pontificiorum vefaniam
reflectendo, quí tam multis sua jactitare Numina &
in iis tantam reponere potuerint fiduciam, prodigií
similis certe res videri poterit. De angelis & divís
ἑθνάρχαις multa somniarunt gentiles, qui íntegrís
non tantum regionibus, sed fingulis etiam locis urbi-
busque patrocinati sint. Immo non gentium topici Dii
fuere solum, sed & fingulis hominibus proprios esse ge-
nios dixerunt, quorum unus bonus, alter malus. Ille
hominum procuraret natales, actiones dirigeret, vitam
ab infortuniis variis protegeret, & tandem de ultimis
bene confuleret fatís. Contrarium vero munus obiit ma-
lus *iste* Dæmon. Sed quid in gentilibus morabimur, cum
ineptiis iisdem obnoxia fuerit gens, cujus mores perfequi
constituimus, Christianorum? In patria nostra aliisque re-
gionibus, Evangelii jubare illustratis, crassam quidem
idololatriam obsolevisse, impense nobis gratulamur; ve-
rum reliquias pristinae superstitionis apud plebejos cum
pulvisculo non omnes adhuc sublatas esse absumtasque,
usus ipse rerum docet. Scilicet in majores nostros pon-
tificios non male quadrat, quod Christianis sui ævi Li-
rinensis in Gallia Episcopus **FAUSTUS** exprobravit: ido-
la, inquit, vertistis in martyres seu sanctos, quos votis
similibus colitis (a). Certe omnium eorum inire nume-
rum, quos frigida septentrionalis plaga genuit, & propter

ea quod pietatis æstu fervere visi sunt, Sacerdotibus commendabiles existere, indaginis prolixioris cura foret. Vitem aquiloniam VASTOVII, pariterque Scondiæ tommum IX. MESSENII, cui evolvere otium fuerit, exempla sanctorum, qui pro religione violentam mortem appetivere, saltem oppetere videri voluerunt, plura in promptu habebit, quam quæ hac nostra ætate meminisse quisquam operæ pretium esse existimaverit.

(a) Cfr. CHEMNITIUS part. 4. de imag.

§. VIII.

Hisce prælibatis, non e longinquo investiganda erit ratio, cur in morem abiit tutelarium Numinum imagines *vexillis* insculpere; nam, ut recte ait CURTIUS: nulla res efficacius multitudinem regit, quam superstitio, alioquin impotens, sæva, mutabilis; ubi vana religione capta est, melius vatibus quam ducibus suis paret (a). Factâ & recepta publicè persuasione, cum signis divinam junctam esse virtutem, non potuit non fieri, quin nudo simulacrorum conspectu etiam ad fortius pugnandum militaris turba animaretur; in spem inducta minime obscuram, fore, ut hostes animum plane desponderent, auderentque nihil contra eos, qui flaminii genere hoc ipso, quo in militia nihil sacratius, septi essent atque muniti, superstitione, uti videtur, eadem ducti omnino, qua Imperat. olim Constantinop. BASILIUS Macedo, Russorum adpropinquante classe sub ductu *Hvitserki* Gothiæ principis, anno 870, sacris armis, aliis deficientibus, invasionem hostilem prævertere conatus est. *Masfortio* enim, e templo Blachernano deprompto signo, non solum ipse fi-

sus

sus est, sed militibus inde quoque validum quæsit incitamentum, animo corporeque languidis (b).

(a) *Lib. IV. c. 10.* (b) *DALINS hist. S. G. 1. pag. 524.*

§. IX.

PRius quam ad alia dilabimur, ab instituto non alienum erit, in transcurso, & quasi per transennam inspicere sequioris ævi labara non nulla sacro suspensa famæ fano, & apud exteros religiose culta. De labaro, hastâ signiferâ linteamine panniculove instructâ, ab **AUGUSTO** tractâ, inque Cæsarum nummis ante **CONSTANTINUM** **Sappr** dictâ (a), **VACHTER** & una cum ipso **CANGIUS** in glossar. conferri potest. **FLAMMULA** sacrum apud Gallos olim fuit vexillum, *S. Dionysii* alias dictum, quod in fano illius summa cum religione adservabatur, & non nisi pro summis regum regnique necessitatibus, solenni quadam & superstitiosa devotione adversus hostes efferebatur; quibus tanto fuit terrori, ut nudus illius conspectus eos in fugam conjicere valuerit. Vexillum fuit simplex, cendato (b) simplici textum splendoris rubri. Unde auriflambe, auriflammeum, Gall. l' oriflambe, Gr. *Φλάμμερον* (*Φλάμμελον*) seu *Φλάμπερον* nuncupatum fuit. Utque in bellis, quidquid esset signorum illud semper præivit, ita illius gestatio in tanto quoque honore fuit, ut ad idem capeffendum, **ARNOLDIUS** d' *Eudevehan* Mareschalia Franciæ se exuerit sub rege **CAROLO** V.; immo cujusce post obitum summi signiferi, qui in annum 1380 incidit, in aciem neque idem signum amplius productum fuerit (c). Ab isto Franciæ auro & purpura intexto vexillo ubi discesserimus, proxime dignum est vexil-

vexillum OTTONIS imperatoris Romani, cujus mentionem injiciamus, de quo Wittechindus (*d*). *Angeli* nomine effigieque hoc insignitum fuit, militibus usque adeo sacrum & suspiciendum, ut ubicunque regem ejusque labarum videre liceret, animus eis nunquam defecerit, licet gravissimis in periculis constituti essent. *Carroccium* apud Mediolanenses aliosque Italiae populos maxime fuit celebre. Nomen, ut cuivis patet, ab Ital. Carozza, seu potius Gothico *Rarra/* carum, rhedam & plaustrum stridulum significante, trahit; unde Græco-Latin. *καρῆχιον* barbaræ vocis manifesta imitatione, natales suos arcessere est censendum. Hoc e carro erigi solebat, ut esset ultro citroque motus illius expeditior. De medio autem currus surrexit procera arbor ab imo usque ad summum, in cujus summitate crucis effigies picta fuit, inque anteriore illius parte imago divi Ambrosii, prospicientis, quocunque verteretur currus. Sequioris ævi Romanis *κατ' ἐξοχήν* hoc quoque dictum est labarum; Germanis verò & positis vicino loco ceteris gentibus Standardum adpellari meruit, quod solemnem in exercitu stationem obtineret (*e*). *Standardum* alias apud Anglos summæ expeditionis signum fuit, & tanquam sacra ara existimatum (*f*); ad quam conglobati milites insignem sæpius edidere pugnam; certe pro religione summatis signi illius, tanta versus Scotos virtutis & animi constantia pugnare Britanni, ut adpellitari deinceps cæperit ipsa pugnae commissio *de Standardo*, sanguinolentum Martis opus.

(e) *Lap Lapr segmentum panni, alteriusve rei, vox est*

est multorum idiomatum usu recepta, & quia vela antiquitus panniculi erant, inde Gothis militaria signa quoque *Lapr* dicta fuere. A *Lapr* autem labarum vocabulum latino barbarum descendit. Usum vocabuli una cum arctoe plaga coloniis, in Italiam immigrasse, Cangius clarè satis ostendit. (b) Cendalum & Cendatum pannus sericius erat, ex sindone Aegyptiaca, aliisque generis subtiliore textili confectus. *Zendado* Italis dicitur. De *Cindato* rubeo optimo cappam & casulam gestare olim sacrorum myste præstantiores, involuacroque candido, una cum pallio, corpora eorum aromatibus condita, verus corruptionem in oriente arcte implicabantur. (c) *V. Tillerti* recueil des rois de France part. 1. (d) *Gest. Saxon. lib. 1.* (e) cfr. *Spelman. Gloss. p. 148. item Sigonii FRIDER. 1. Imp. epistolam de excid. Mediolan.* (f) Cum hisce conferrri possunt, quæ de aris portatilibus jam ante monuimus.

§ X.

HAbuere, pro quo mortem appetivere, linteolum Dani quoque *Danebrog* (*Daneborg*) ita dictum. In nominis illius excutienda ratione cum in Musæo Hafniensi versatur *JACOBÆUS*, in hæc verba prorumpit: „nostratibus vexillum idem nomine *Danebrog* dicitur. „Danorum verò *Brage* exinde vocatur, quia varii coloris erat *πεποικιλμένη*, quæ *Brage* Danis effertur.“ Præsidium & propugnaculum Danorum exprimere voluisse nomenclatorem, nobis verosimile magis videtur. Postquam enim in fluxu lingvarum, literas identidem turbari certo certius est, dialecto danicâ, per metathesin *borg* per *brog* efferrri, non magis mirum, quam *hross* Gothicum verus per *Hors* hodie, *Belgard* per *Belgrad*, *Græcia* per *Gerkia*, & demum *furchten* pro *fructa* / diale-

dialecto sequioris ævi Germanicâ, enunciari noverimus. De origine vero hujus labari talis in annalibus magnificè sese venditat traditio, nempe quod, cum rex Daniæ **WALDEMARUS II.** adversus infideles Livonos, quos ad christianam fidem convertere studuit, tam adversa usus esset fortuna, ut, pristino amisso labaro, confusione omnia darentur, hoc de cœlo fuerit delapsum, quod exercitui animum pugnae prosequendæ indiderit, hostesque in fugam conjecerit. Fuit autem lacinia tortæ mappula hæc ipsa crucis albæ cælaturam in rubro campo præferens. Tanto vero majori religione cultum & custoditum fuit ancile hoc idem, quanto crassior populum superstitione cepisset, fore nimirum, ut in quocunque prælio ad suspiciendum prostaret, gestantium manibus nulla excidere posset victoria. Hæc tamen, nisi superstitionibus delibutus, ad credendum alius quis non facile adduci potest. Magis probabile est, quod a papa Romano, tanquam donum quoddam sacrum, missum fuerit, crucis à fronte & a tergo signatum simulacro, ut ad fidem propugnandam fervidiore zelo rex insisteret, & regis ad exemplum milites sui quoque accenderentur. Tempore **CHRISTIANI I.** Danebrogum suum in Sveciam invexerunt Dani, non sine ordinum hujus regni summa indignatione. Scilicet superioritatis civilis characterem quandam, isto ausu non obscure sibi adsertum ivere proceres Daniæ laici, modo, quo jam ante characterem in ecclesiasticis eminentiorem sibi, præ primato Sverico adserere non verecundatus est archi-episcopus Daniæ, cum extra sui regni limites, crucis signum in solemni trium re-norum confessu Calmariensi, sibi præferri curavit, cer-

te non inhonestum putavit. Quam verò cruciatæ professionis symbolo huic invictam virtutem inesse falso creditum fuit, facillimo negotio vel exinde colligitur, quod cum Danorum, in sylva Hællensi, fere totus cæsus esset exercitus, & in eo nunc rex esset, ut fugam cum viginti quatuor navibus capefferet, quæ tutelare signum hocce vebat prætoria navis, in potestatem Svionum improvise deheverit. Nec faustiore ancile hoc ipsum reddere potuit pugnam ad montem Brunchonis anno 1471 cum Svethis confertam; ubi partim cæsi, partim capti fuere, pauciores, qui vitam fugâ redimere potuere Juthi. Parentalia vero dicta fuisse divinitatis insigni huic post non multo, in prælio puta Dithmarsensi, quo, una cum signo suo, deformi strage, legiones Danorum concidisse, in historia non hospiti cuique res est notissima.

§. XI.

Quemadmodum gentilibus vel præcipuè curæ cordique fuit, decorum regumque suorum imagines, in gratam favoris, beneficiorumque sibi ab iisdem præstitorum memoriam conservare; ita de hominibus, qui succedentis ævi sunt, negandum neque, quin de eo solliciti fuerint illi quoque, ne quæ benefactorum memoriam oblivio & vetustas confundat. Regi *ERICO Jedvarsonio* Sviones se devinctissimos fenserunt; quam ob rem capitis ipsius effigie, pro symbolo annuli sui utebantur non tantum ecclesiastici collegii viri, sed eandem etiam labaro sacro, solennibus in processionibus sibi præferri voluerunt. Peracta apotheoseos festivitate, non post multo imago ejus militari vexillo principi & primario insuper etiam adpicta & impressa fuit; immo, *MESSENIO* in
fcon

Scondicis teste , linteaminis catagraphum idem Lugduno novum Upsaliam missum fuit. Residebat in illius urbis vicinia aliquamdiu papa Romanus, cui solenne erat tempore illo, fanis metropolitanis consecrata labara mittere. Inter divorum aras intermedio loco suspensum, invictæ adversus hostes virtutis esse credebatur. Profecto sacro & amplissimo honore pietateque idem omnes de-
venerati sunt. Pro felici coeptorum eventu; præcipue vero exitio ab urbe & templo, avertendo impensissime precati: O! *Sancte Ericce!* illam cantilenam non simplici vice, sed tenore continuato eodem multoties psallebant, *rex & patrone regni Sveciæ ora pro nobis.* Non nisi in summis regni angustiis extraditum fuit regni Svethici anathema idem. Regni prorex **STENO STURE**, quantum constat, solus fere multis precibus & interveniente chirographo, ne quo damno periret, aut injuria adficeretur, a canonicis Upsaliensibus impetravit, ut in bellum Moscoviticum ituro sibi met, pro felici omine auspicioque concederetur. Translata regia sede, *Ericiani* cultus sui indicium esse voluit imaginem in sigillis eandem urbs hodie primaria, pro **Balduri**, nescio qua, effigie, qua jam ante coloni loci ejusdem usi fuissent, divi hujus subdito & substituto simulacro. Hodie non nisi truncum divi caput signa repræsentant, Qui vero ecclesiæ **S. Goth.** antiquitates congeffit & digessit **PETRUS DIKMANNUS**, a capite coronâ, a sinistra manu orbe regali, & a dextra ense evaginato, & demum clypeo, trium coronarum insigni condecoratum regem, in non una sede Numini sacrata, coram semet conspexisse adfirmat. Si cui scire volupe fuerit, quamdiu ævum ferre potuerit

secretum imperii pignus hocce, una cum diruta utraque pontificii regni columnâ, purgatorio & imaginum cultu, hujusce quoque imaginis cultum venerationemque exspirasse, non improbabile videtur. In illo verò cum umbris & imaginibus, circa finem seculi reformationis, abs archi-episcopo regni instaurato bello, si porro quis urgeat sede sua vulsum & extirpatum fuisse antiquitatis *κειμήλιον* hocce, opinioni suæ admodum non refragantem memet habebit (a).

(a) De Constantino M. legimus, quod palladium, veteris Romæ *ἀειπαύον* antiquitatis Constantinopolem transferri, & terra defodi curaverit; de Stilicone itidem, quod lieros Sibyllinos comburi residos, & ecclesie Svcc. primorum temporum monachis quod monumenta Runica destrui & subverti curarint, censet. Utrum papistico inani timore inflammati, Luther. religionis Zelotypi dici meruerint, iidemque cum secundinis infantem projecisse, coargui queant, non nostrum, sed aliorum iudicium esto.

§. XII.

Fuisse cuique regioni suos topicos Deos, jam ante diximus; habuere singuli homines suos genios, sua tutelaria Numina, a quibus, licet non diverso, quam quo ipsi, luto formati essent, per statuas & imagines tamen suppetias, supplicibus votis precati sunt. Angvium & draconum simulacra heroibus & viris principibus nostræ gentis sacra fuisse, sub exemplo OLAVI Craffi Norvagiæ regis jam ante dictum. (a) Habuit HARALDUS *Nardrâde* frater illius uterinus suum quoque tutelare signum, ab ODINO *Landsauden* (*Landsödan*) nuncupatum.

Illius effigiem utrum sub humana, an vero alius animalis specie depictam habuerit, quamvis non constet, id de Norico Marte illo testatur **STURLONIDES**, quod non magis suæ, quam in militibus, augendæ virtutis gratia, quam eunque regionem armis suis invaderet, in spem victoriæ, idem signum præferri voluerit. Semet illius virtutem semper esse expertum adversus hostes, quamvis non sine periculo, affini suo Jarlo *Haraldus* ipse testificatus est. Quidquid sit de fortuna signi hujus, suæ certe non degeneris virtutis aras non in oriente & Africa solum, sed & Russia atque Anglia, ubi occubuit, erexisse **Haraldum**, non unius generis & loci annales testantur.

(a) *Semel iterumque hoc signum amissum, restitutumque legimus, donec Sverro Björkebeniorum Rex Magnum Erlingssonium illo privaverit, cfr. Sturl. versf. Dan. p. 504.*

§ XIII.

NUmina in lucis habitare crediderunt gentiles; inibi vero signa militaria sua tempore pacis suspenderunt, exorto bello depromserunt, inque virtutis incitamentum, militantium agmini præferri curarunt (a). Romæ adservabantur in ærario olim sub oculis **SATURNI**, quo regnante senecione, aurea secula existisse mentiuntur poëtæ. Quoties vero ex illa æde in castrorum locum deferenda erant, magna adhibita est pompa, musicorumque auditus concentus. Sequiori tempore in templis illa custodiendi mos invaluit, unde magna cum devotione, multisque ceremoniis extradebantur, quoties periculi & aleæ plenæ in hosticum suscipiendæ essent expeditiones. Id quod Upsaliensis divi, ejusque sub exemplo labari, modo probatum dedimus.

(a) *cf. Dithmar. in not. ad Corn. Tacit. de mor. Germ.*

§ XIV.

PRimipilare Signum, ad cuius nutum sistebat aut procedebat agmen, aliis gestandum non concedebatur olim, nisi qui robore virtuteque erant præstantissimi. Hinc in militia non tantum terrestri, sed & maritima, ad custodiendam proram, eodemque loci constitutum labarum, non nisi lacertorum robore & animo invicti adhibebantur; Berserki, temerariiq; pugiles alii præsertim. quibus ut præcipuus olim habebatur honor, ita præ ceteris id laudis iisdem cessisse constat, ut **Stafubui** seu **Stamboar** elogio insigniri meruerint (a). Famosos, facinorosos & robore plus quam giganteo præditos fuisse id genus championum ex *Torst. Wikingsf.* historia colligitur. Signiferi in genere *Mercurii*, **mårtsiémán** dicebantur. Quid autem **mårde** nostra lingua designet, non adinet dicere plura, cum quid Anglo-Saxonibus, Cimbris, Gallis, Hispanis, Scytho-Celtis vox significet, qui primigeniæ lingvæ antiquitates excusserunt, ad umbilicum usque dilucide explicuerint. **Nornbriorter** Berserkus, a P. CLAUSONIO in vexillaribus HALDANI *nigri* reg. Norv. **Mårtsiémán / Banermåstare** seu **fånnifedrågare** præ ceteris commendatur; præcipue vero, quod postquam in illo munere cum laude versatus fuisset, loca, unde discesserit, colonis primum instruxerit. Quid? quod indolis masculæ viragines etiam, ad inspirandum viris exemplum fortitudinis, in confertissimam aciem signa intulisse reperimus. Qualis inter athletas HARALDI *Hil-detandi* fuit *Ursina*, cujus eximiam virtutem TORFÆUS laude non immerita cumulavit. Nempe nullo non tem-
pore

pore in honore semper habiti fuere vexillorum geruli. De *Banni* Domino in imperio Romano, & summo in Polonis imperii vexillifero nostrum non est agere in præsentia. Qui in patria hostibus signa passim & promiscue invehebant, *Herferi* fuere denominati. **MAGNUS** **STORE** ante duo secula, **JOH.** Magni a.ep. pater, in exercitu **ENGILBERTI**, regius seu vexillarius major erat, non forma tantum ac robore corporis, sed & nobili genere clarus; qui vehementi adeo semet studio addixerat duci suo, ut ad vitæ scenam ultimam, fatorum comitem sese individuum illius præstiterit (*b*). Sed quid est, quod de vexillatione, non novo militiæ Svecanæ fortitudinis prodeudæ invento, plura dicam? Id de **GUSTAVO** **I.** heroë, seculi sui gloria, antequam ad alia dilabimur, in fine dicendum, quod in pugna ad *Bränne* *Ahrctia* d. 22. Jul. an. 1513. Svionibus auspicato omine, castrorum regium & supremum vexillum gestaverit, insidiosoque tyranno victoriam forti manu extorserit (*b*).

(a) *V. Heraud. hist. p. 107.* (b) *cf. Joh. Magni hist. Svec. p. 216.* (c) *cf. Tegel. hist. Gustavi part. I. p. 5.*
 § XV.

DE signorum facellis agere paucis impræsentiarum neque inconueniens erit. De Romanorum exercitu **TACITUS** ait: "agmina legionum stetero fulgentibus aquilis, signis & simulacris, DEÛm, in modum templi" (*a*). Hæc quidem in alium, quam quæ fundunt sensum, verba torquere **LIPSIUS** sustinuit, cum de simulacris deorum perhibet, quod signis nusquam legantur apposita. Verum si ad icunculam *Jovis* tonantis expresse junctam imagini **JULII** cæsaris attendere viro eruditissimo non gra-

grave fuisset, iudicium non satis cōstum cohibuisset; & ad arbitrium **RUPERTI** non moleste accessisset, dicentis: in signis colendi cæsaris pro Numine morem, ab origine magis congrua alia, ægre repetendum esse. Id vero ne non expertus adfirmasse videatur Rupertus, adducto in medium non uno alterove teste, sed, quæ vim faciat, nube eorum, pro **TACITO** sententiam dixit; de militia Romana adserens, sive hybernarit, sive alias in otio constituta fuerit, jugatas semper habuisse aquilas, earumque penes ipsos, sacris & honoratis locis repositionem omnino in usu fuisse (b). De Germanis & Sviobus item historicus adfirmat, quod sub custode clausa domi arma habuerint, & cum in prælium ituri essent, effigies & signa lucis, sine tecto templis, detraxerint. Quid vero? Sicut de Romanis constat, quod una cum tablino, ærarium & granarium seu repositorium opum eodem loco, quo signa, constituta habuerint: ita de militari Gothorum turba certum etiam, quod peculium castrense suum, sub signis reconditum habuerit, non alio fine, quam ut, quo ardore & studio pro vitæ retinaculis, focis & opibus puta, eodem pro signis & aris insuper, id est, pro victoria pugnarent. Morem eundem apud Danos observatum fuisse, palam fecit in gentis suæ historia baro de **HOLLBERG**, dicens: In austheilung der Beute würde große billigkeit beobachtet: denn was in kriege erbeutet / würde zu des Königs zeichen oder Standarte getragen / welche der Fürnrich mitten in einem kreis des kriegz Volcks setzte; und da würde sie denn durch zwölf Männer ausgetheilet / welche der König da zu ernante (c).

(a) *annal.* 15. 29. (b) *cf.* Nieuports *antiq. Rom.* p. m: 466. (c) *dänische reichs hist. part. 1. p. 109.*

Ab ultimis retro temporibus mos Scandianis fuit usitatissimus, ut **SCALDI**, vel ut aliis vocantur *Scaldri*, Regum Jarlorumque latera in præliis tegentes, eorum heroïca canerent atque colerent facinora. Hi intra clypeatorum cohortem, proximo a primipilari signo, constituebantur loco, ut eo melius adtenderent ad ea, quæ perennitati famæ forent tradenda; utque opus non haberent in rerum componenda historia, aliorum niti fide testimoniisque. A poëtis non diversum, verum idem omnino munus obivisse illi censendi sunt historici. Sequioris ævi corrente intervallo, postquam ædilitatem una cum rectè, an verò secus factorum censurâ, sibi patres mitrati assumfissent, locum post principia & signa eundem illi quoque diu tenuerunt, heroibus martigenis, qui pro religione, seu verius religiosis occumberent, non humana, sed cœlesti regione reposita insignia pro præmio atque mercede polliciti. Sic signum **CRUCIFIXI** in pugna Lutzensi prætulisse *Abbatem Fuldensem*, & ad expiandos, virtute militari, divorum manes, multitudinem inflammasse, testis est **PET. BAPT. BURGOS** in suo, de rebus sui ævi in Germania gestis, commentario. Quod si unicum minus sufficere visum fuerit testimonium, in Lusitaniam, Livoniam & demum Palæstinam concedat, cruentique castrorum signi illius vestigia protinus & ubique in promptu habebit.

§. XVII.

UT ad fundati, bonis avibus, imperii florem nulla res magis conducit, quam legum observantia, ita intellectu facillimum etiam erit, quanta fuerit signorum

religio; intuitu caussarum & actionum militarium; quæ penes signa, tanquam pro tribunali disceptabantur. Veneratio, qua profecuti sunt prisca Numina sua tutelaria, quorum imagines vexillis insculptas habuerunt, & quæ ceu præsentibus caussarum testes vindicesque reformidarunt, pervicacissimam rationem non temerandæ religionis castrorum suppeditare potuit. Notari convenit, tractum in amorem populi morem illum eo intuitu etiam, ut signis propalam collatis, per viam non occultam exprimeretur, æqui & boni justitiâ bellum minime vacare. Quæ vero, standardis in terra defixis, sub dio, in comitiis populi, exercita fuere judicia, statariæ caussarum cognitiones, **Ständrätter** / a majoribus adpellabantur. In jure Saxonico ejusmodi subdialium placitorum & adductarum in judicium litium atq; actionum crebra injicitur mentio, & inde in civitate *Florentina* **VEXILLIFEROS** nuncupari, qui Sacerdotes justitiæ essent, testis est **GUNDLINGIUS**. Id quod eodem modo accidisse censendum, quo apud *Helvetios* **BANDERETI**, & apud *Luccenses* **GONFANONERII**, Astreæ amplissima nomina quoque salutantur; appellatione ethnica, una cum infestis Gothorum & Normannorum armis, Italiæ & Galliæ pridem illata (a). Scilicet subdialem judicandi & statarium, in commune deliberandi, morem olim & hodie gentes nonnullæ observant, ad significandum indissolubili vinculo combinatas esse debere religionem & justitiam; immo, a recto aberrare omnem *justitiam*, quæ DEo moderatore careat; quemadmodum religio, qua religatur & cum Creatore redunitur natura universi, sine jactatione neque consistere potest, nisi sublato inani Numi-

nis

nis terrore , placidissimo recti justique tenore con-
servetur.

(a) *Sicut vexillum borealibus sabina: ita spiritus familia-
ris gan/ ejusq; prestigiis instincta bellatorum turba dominorum
Gonfanerii Banerherren/ Falthherren adpellabantur. In hi-
storia Hervoriana Cap. XIX, p. 174. vocabulum Gunfani recur-
rit. A Gan & Sun/ viro forti & fatidico, Gund virago,
Cunigunda regia virgo, & Gunderikus, bellipotens Vanda-
lorum in Hispania rex denominationem invenit. A Gan verò
Sun & Gund/ sicut a fan/ fant & tanta literarum diversi-
tate non nulla, sed significatione non variatâ dicitur.*

§. XVIII.

Magnum eumque maxime notabilem usum fuisse si-
gnorum, cum a jugulo servitus fuerit repellenda,
plurimarum nos docent exempla nationum atque popu-
lorum. *Tunnonis* cujusdam mentionem facit **SNORRO**,
qui integro & ingenito animi vigore ferre nullo modo
potuerit, inter Regis Sveciæ **EGILLI** mancipia semet nu-
merari. Idem cum nullo modo dubitaret, quin multi
essent, qui vindicandi naturalis juris decus idem, puta
libertatis, una secum ambirent, ne quam ipse gloriam
oculis suis præsumsisset, ceteri ignorarent, ad convo-
candum populum vexillum sustulisse dicitur, & quò ad
vindicandam patriæ libertatem magnopere inflatum se-
met inflammatumque declaravit. **ENGILBERTUS** in eo
occupatus, ut *Sviones* a Danorum liberaret jugo, li-
bertatis redimendæ tesseram, vexillum militare in publi-
co foro *Holmiæ* quoque proposuit, linteoque non ob-
scure loquaci illo, cives suos hortatus est, ut, sub auspi-
cio volante pio suo, pro aris & focis, & quæ omnium

amores sola complecteretur, ad pileum revocanda, puta, vivendi immunitate, militatum convenirent (a). *Rothii* obscuri cujusdam hominis, qui novum præfagiens chiliaristicum regnum, superiori sec. in Belgio fœderato magnas excitavit turbas, meminit in theatro historico **CHRISTIANUS MATTHIÆ**, quod vexillum sibi fieri curaverit, pro convocatione hominum ad regnum Christi, quibus suæ, non novæ, disciplinæ nomina dare volupe esset.

(a) *V. Joh. Magn. bist. S. G. p. m. 824.*

§. XIX.

IN signorum militarium enarranda religione occupati a via non aberrabimus spero, si ad illa quoque signa animum & oculos nostros demiserimus, quæ *votiva* nuncupantur, & in columnis ædium sacrarum etiamnum obvenire solent. In foro theologico & morali quid importet votum, non adinet multa dicere. Quin neque hujus loci est tractatio votorum idololatricorum, quorum in scriptis gentilium & ecclesiæ pontificiæ liturgiâ mentio crebra occurrit. De gente, cœlo sub arctoo fata, & in gentilibus adhuc cespitante tenebris, res est notissima, quod cum in morbum incideret, pro torpentis membri recuperanda incolumitate, religione votorum non illa minus crebro sese obstrinxerit. Sanitati enim quicumque redditi fuere, signum vel simulacrum vitio adfecti membri Numini dedicavere, & e laqueari columna sacræ ædis suspenderunt, cum ut grates Numini suo justas persolverent, tum verò præcipue ut favoris, sibi superne præstiti, declarationem aliis palpandam exhiberent. *Itum morem utrum a Cananæis traxerint*

Græci

Græci & ceteri gentiles, decernere non nostrum est. Philistæos in sacris suis penitus non ignorasse cultum illum, quæ a D. SAMUELE nominantur chronica sacra non obscure significant. Quidquid sit, ubi cœperat, certe non substitit observantia moris illius, verum inter Christianos late quoque serpsit, unde in templis suis variarum rerum atque signorum formas illos quoque appendisse constat. cujusmodi ad foterios fontes hodiernum monumenta haud raro conspiciere licet.

§ XX.

Signorum militarium majestate nihil in antiquitate venerabilius diximus, eritque magis liquida res illa, ubi, conceptâ per signa religiosæ adseverationis formulâ, in manus alterius insuper juratum fuisse noverimus. Jus jurandum, quo veritas confirmanda & obfignanda fides est, sine Numinis, per quod juratur, cognitione & cultu vere concipi nequit. Sacramento itaque militiæ se obstrinxerunt milites, sub Numinum adspectu, quæ signis insidere crediderunt; adeo ut militum quisque vel non obsequeretur Imperatoris sui mandato, aut signa desereret, eundem perjurio numina violare, eundem iniquitate, quâ major nulla cogitari potuit, sese obstringere, ex animo ceteri existimaverint. Tantum & tam atrox certe flagitium existimabatur, signa deserere, ut, qui illius convincebatur criminis, sacris non solum arceretur, sed sanguinis fluxione, cum aquâ non posset, noxam eandem ablueret. Re aut verbis violato signo, majestatis crimen reis intendebatur. Atque inde ARCHILOCHUM poëtam, quod saltem scripsisset, *satius esse clypeum abjicere, quam interire,*

terire; exilio multare Lacedæmonii non dubitaverē. Apud nostrates sanctimonia non minori culta fuisse vexilla, propter reges summosque duces, qui signorum vel præcipue sectatores & asseclæ fuerunt, in ceteris **HARALDI** *Norvagiæ* Regis exemplum probat. De illius signo primario **Landesödan** dicto, jam ante nonnulla monuimus. Sed fidem superare videtur, quæ, cæso illo, fides, quis zelus militum fuerit in illo custodiendo & sancte servando labaro, ne quo casu in hostium manus perveniret. Quamvis enim pax una cum vita ipsis offerretur: ad tanti muneris mentionem & adspectum, surdis auribus tamen universi inclamavere, aut victoriam reportaturos, aut circa regem, cujus se penes invictæ fidei depositum superesset, sese occubituros. Factumque ut ducis sui signo etiamnum incolumi, & prælium vehementius redintegrarint, & cum parva manu suâ magnas legiones hostium, antequam victas manus darent, acriter & diu repulerint. Vindicatum sacrati & signati Numinis sui honorem, aciem hostium per-ruperunt, atque vexilla machinasque hostiles involarunt; sed superfundente semet exercitu hostili, manibus illorum erepta & hostium demum facta fuit victoria (a). Alia ut prætereamus exempla, quod **ERICUS OLAI**, historicorum Svethicorum sui ævi princeps, documentum exhibet culti circa signa Numinis, intra conscientiam premere nobis integrum non est. Perhibet ille de **BIRGERI** regis fratre altero, **ERICO** puta, quod cum ituro adversus Danos, vexilli sui hasta casu diffringeretur, tantus militem timor, tanta exercitum formido invaserit, ut consilium non post multo mutaverit bellatrix turba,

turba, & ab obviam eundo hosti gradum revocaverit. In heroum sepulturis olim prælata fuisse & hodiedum aliis atque aliis locis præferri solere, vexilla cum funebria, tum quoque triumphalia usus ipse docet; quamvis, quod ad sacrorum ritum eundem in nostra ecclesia usitatum, concilii Upsaliensis patres, ut aboleretur, impendio laboraverint. Hac, qua nunc vivitur hominum ætate, qua imaginum & statuarum cultus plane exolevit, quamvis, qui LUTHERI sacra sectantur, milites ineptum & fidei suæ professione indignum putent tribuere linteo picto & perticæ suffixo religiosum cultum; ad idem civili cultu decorandum tamen mirifice conspirare, nostrum quis nescit? Sub volante & involucris suis explicito vexillo sacramentum militare præstatatur. Tympana pulsantur, flexisque in cornua tubis atque tibiis canitur, e lectulo sacro suo quoties illud agimini, ad capeffendum munus suum parato, prægestatur; in castris, equitum peditumque manipulis (*Standarwachtare*) & quidem exerto ad pugnam gladio vallatur; quemadmodum de rebus, pro imperio, confectis & ex sententia compositis constat, quod quo jam ante, ordini suo singula collata fuerunt, eodem vocali sono, quoque repositorium sacrum suum repetere soleant, ibique adservari, donec fremente novo classico, versus hostes domi forisve securitati publicæ obstrepentes, ad arma iterum vox ingeminata tribuni intonuerit.

(a) V. Pontoppid. *de Dan. gestu in Anglia p. 166.* (b) *cf. Verving. in hist. SIGISMUNDI p. 150.*

§. XXI.

Falsam & erroneam de diis persuasionem in caussa fuisse,

fuisse, cur in templis signa sua adseruauerint gentiles, modo diximus. Item, cum civitatum in Christianismo magnopere interesset, fovere religionem symbolis externis, error, una cum papismo, idem in ecclesia irrepfit, ut quæ templorum, eandem anathematum horum quoque religionem principes esse voluerint. Utrum qui hodie obtinet mos signa militaria in templis suspendendi, pietatis regulæ, ecclesiæve honori quicquam deroget, quæstio a moleste sedulis moveri solet. In piis desideriis suis **QVISTORPIUS** Rostochiensis theologus, sicut *non gladios officialium militarium, cruore madentes commilitonum suorum: ita neque vexilla Domino abominanda, quibus manipuli furum sese obstrinxerint, in sacrarium Domini inferenda esse* dijudicat. Sangvinis effusi **CHRISTI** & vitæ propagandæ sigilla, non item profundendæ illius, sangvinolentas tesseras, in templis locum habere, sequioris quoque ævi non nemo censet. Verum enim verò cum honestatis, propriè sic dictæ, legibus, neque divinis neque humanis repugnet, sed utilitatem publicam magis promoveat signorum sacris locis commissa custodia; & si absit profanantis voluntas, rei, per se innoxia, exceptio, Numinis aras temerare nulla possit; de cetero constat ex paulo ante dictis, etiam in tenebris gentilismi & Christianismi varias rerum formas, etiam quæ nominare verecundia prohibet, opitulatori divo, ex voto fuisse consecratas: donec, qui cum imperio sunt, aliter consultum velint, in regulis municipalis œconomia nostræ, non invita religione, statutum esse existimamus, ut cum per vicos atque pagos hospitentur milites, templis in proximo sitis vexilla inferri oporteat,

teat; ne vigillis sub diô frugi nullis; qui in statione sunt, divexentur.

§. XXII.

Abs rei, in cujus tractatione versamur, indole neque alienum erit, *signa* deridiculo sublata adspicere. Eorum memoria temporum inserta fastis, cum passim & ubique sese prodant, ad eadem in transcurso reflectere oculos, ulla neque religio neque honestas vetat. Invaluit in nulla non gente mos ille, ut, qui superiores præliis discesserunt, iis, quos vicisset fortunæ malignitas, deficientem animi virtutem, effeminatamque belligerandi rationem, notis aliis atque aliis exprobrarint. Judicat magnanimus IMPERATOR, victis nunquam objiendam esse fortunæ retro sublapsæ perversitatem, & proinde illum in modum vincendos esse hostes, ut doleant ipsi, se non prius victos fuisse. Verum non ubique illa in triumpho servata fuit animi moderatio. Potius ad exsatiandam crudelem voluptatem, multi non honesti solum, sed & decori limites transilivere; factumque id ipsum reperimus non a militari turba virorum modo, sed & mulierum, cum ad transiliendum verecundiæ septa, non minus sæpe easdem inflammavit fortunæ indulgentia. Fuere, qui incesta cognomina locis (a) & hominibus de se male meritis imposuere. Pyramides & statuas iis ad *δυσφημίαν*, quibus non bene cupiverunt, in altum exsurgere alii voluerunt (b). Edinburgi, post extortam non multo ante victoriam rebellis populo, signa militaria eorum, a pueris, caminorum purgatoribus, in infamem locum congesta fuisse, *præ-*
tendentis **PRINCIPIS** vexillum prætorianum a carnifice

prælatum, & voracibus flammis una cum ceteris abolitum fuisse constat (c). In nostra gente, acuminandis in cuspidem aciculis futuriis, *cotem* ingentis longitudinis ALBERTUM Svethiæ principem MARGARETÆ Danicæ ludibrio submisisse, & demum obtentâ de rege victoriâ, reginam muliebri fastigiatâ mitrâ, victum vincitumque captivum suum redimivisse, annales utrinque perhibent. Orebrogenfi oppido collatum a MARGARETA insigne, idemque numismate expressum, utrum ad genus signorum, de quo jam agimus, referri queat, KOEHLERUS ejusdem monetæ in Germaniâ possessor nuperrimus, dubitat, & nos cum ipso quoque. quamvis, qui seculo, quo MARGARETA, eodem floruit, historicorum, non ultimæ cavæ, veritatem facti illius non oblique perstringat, cum in ludibrium & opprobrium regni, *monetam, turpitudinis sexus sui insignia præferentem*, reginam instituisse refert. Suffragantur rei gestæ iniquitati isti, ab antiquitate exempla utriusque sexus hominum, fortunæ secundantis aurâ elatorum, qui sui non bene potentes, lingvæ, moribus & affectibus moderari nesciverunt. Erant ad humanitatis, quæ hodie est, numeros, aulæ principum in illa opacâ simplicitate minus conformatæ. Quo factum, ut, cum incidissent in animos & manus effeminatas hostium suorum, conclamatæ lasciviæ simulacra subinde effigiarint, & in æternam memoriam ignaviæ, eorum urbibus solemni loco instaurari fecerint (d). MARGARETAM, ludibrio Svecorum, effinxisse multa, & carmine, ingeniosè ficto, libidinem reginæ vicissim exprobatse trium regnorum incolas, una cum MESSENIO, chronici rhythnici vetus auctor, testis est (e).

(a) *Præfagia prospera fortuna, lectissima nomina urbibus imposuere alii. Alii non boni ominis signa addidere, quæ in lectiora alii iterum immutabere.* Philippi in Thracia peneropolis, in Illyrico Epidamnus, & in Samnio Maleventum in Beneventum postea conversum, ut alia innumera taceam, rei non ignota huic indicio esse possunt; ne de Danaborg castro, Danaborg / item Laglösa Rödöping / Svethia oppido, quid dicam, cujus in literis ad archi-episcop. O. L. M. mentionem facit GUSTAVUS I. Svethie rex. sed qui historiam urbis scripsit metropolitanus hodie pastor, M. HALLMAN, olim Laga Rödöping dictam fuisse; Laglösa Rödöping verò inficetæ dicacitatis inventum sequioris ævi esse perhibet. (b) cfr. Pontoppid. *Theatr. Dan.* p. 197. (c) V. Hübner. *Supplem. ad ann. 1746.* (d) cfr. Piccarti *observ. polit. Decad. IV. p. 214.* ubi de ARTEMISIA, Carie regina narratur, quod notatâ statuâ infami stigmatæ, genti domita victoriam exprobare, pudore fracta minus illa quoque deterrita fuerit. Deniq; si cui opere pretium visum fuerit paralicium instituire decori publici veteris & recentioris ævi, is consulere non incommode potest hist. Moschovia politicam Hübnerianam & Treuerianam; illam pag. m. 914. hanc verò pag. 93. & 94. & illico cum morum simplicitate priorum temporum, congruentiam proximorum non longe videbit. (e) *Xim-Rödnikan* p. 169. *Messen. Scand. XII. p. 217. & 219.* Dalins *hist. Sveth. II. p. 595.* add. *Messen, retors. imposturar. P. Parvi Rosfont. p. m. 64.*

§ XXIII.

AD calcem & extremam lineam curriculum hujus prope proventum est. Ne vero ad bonam clausulam reliqui quicquam superesse videatur, de prænobili illustrissimaque gentis nostræ BANERIORUM familia nonnulla

nulla inferere ab instituto non alienum erit; imprimis cum ab insigni militari, cujus formam usumque hætenus expressimus, cognomen suum commodato accepisse videatur, eademque heroicis pace & bello gestis olim & hodie refulgeat. Familiare prænobilium **BANERIORUM** emblema in *theatro* suo **MESSENIUS** dicit esse prætorium, nive magis candidum, in cœrulea subvolitans regione, vexillum; cassidemque bisseua vexillata, subflavi coloris, cum gloriâ undique circumdare hastilia. Sunt, qui testimonio *Saxonis* (a) *Crantzii*que (b) & qui eorum vestigia premunt, aliorum innixi, hos in Dania tempore **CANUTI II.** ortos fuisse urgent a **TYMMONE**, gregario quodam milite, qui animi virtutisque plenus, exercitum Danorum, fugam jam parantem, caudice, nescio, quo, abietino sursum levato, ad fidem & virtutem, intermissamque pugnæ stationem revocavit. Cecidit supra votum prosperè captum in arena consilium. Obtentâ vero inopinata non minus, quam memorabili de hostibus victoriâ, Regem mox perpetuum vexilli prætorii gerulum designasse *Tymmonem*, generosorumque civium suorum ordini adscripsisse, fama mox emanavit. Ex illa origine familiæ primordia repetenda esse codicis, nescio cuius, manuscripti fide, alii quoque semet obtinere posse putant. Sed est ab illa opinione alienus historiæ *Svethicæ*, cujus modo mentionem fecimus, pater *Messenius*, qui Danicos **BANERIOS** ibidem, sæculi reformationis initio; nostros verò sub rege *Svecorum* **JOHANNE III.** primum isto cognomine insigniri cœpisse contendit, ea imprimis ductus ratione, quod ab anno 1016, quo nobilitatis signo isto condecoratus fertur *Tymmo*, legitima atque

atque continuata nusquam deprehendatur progeniei illius series (c), id quod dubio procul omni factum fuisset, si ab antiquitate robur habere illa narratio sit censenda. Quicquid autem sit, horum in sago non minus, quam in toga illustrium virorum in patriam maxima semper exstiterit merita, ut fatum sui nominis certo certius implevisse sint censendi (d). Contra fortunam sæpe suæ suorumque spei institerunt, & per acerba factorum pro illius amore, quæ omnium amores complectitur, inexpugnabilem animum, perpetuo retinuerunt. Certe de GUSTAVIS regibus, in bene merendo, sanctissimos fuisse, regiminis & ævi utriusque testis est historia. Ralsensi in Jutia custodiæ, pro obside, captivus datus GUSTAVUS I. Banerii (ERICI) arcis præfecti connivente oculo, grassanti Christiernæ tyrannidi ereptus fuit. Alterum GUSTAVUM in aqua, non satis congelatæ, vortices infusum & jamjam periturum, periculo non levi suo, extraxit PETRUS BANERIUS Gustavi filius, eques auratus, ipse post non multo regni Senator evasurus. Fratris germani illius JOHANNIS BANERII prætorianæ versus Moschovitas militiæ, sub SVANTONE fratre altero suo, magni olim vexillarii; mox GUSTAVI MAGNI ad mittendam Germaniam succentoris, bellicique consiliarii dotes patriæ & religioni salutares, easdemque triumphalibus ornamentis cumularas, sibi excidere nulla domi forisque posteritas concessura erit (e).

(a) *Libr. 10. p. 192.* (b) *Lib. 4. c. 25.* (c) *cfr. Scand. ill. T. 12. p. 44. seqq.* (d) *Baner a band & binda Svehice dicitur. Vocabulum verò significat, sub signo militantes uno eodemq;, arctissimo fidei vinculo constrictos esse debere, nec nisi morte aut bello*

*bello pace finito, in quodcumq; juraverit, vexillo, aliquem semet
divelli pati debere. (e) Erat pro symbolo illius vermiculati operis
emblemata, Hercules contra Cerberum clavam vibrans, cum
titulo: Tu ne cede malis.*

§. XXIV.

Effet heic occasio nata nobis differendi de *feudis vexil-
laribus*, eorumque penes nos olim symbolicâ trans-
latione, quem ritum nuperi reges neque infringere vo-
luere (a). Effet ab instituto alienum neque disserere de
regni *Suehiae* BANNERIO SACRO & IMPERIALI, ad red-
dendam augutiores regni majestatem, in coronationi-
bus PRINCIPUM prægestari solito: sed cum qui, per mor-
tem PATRIÆ PATRIS optimi & gloriosissimi, universam
patriam paulo ante *maror* cepit, non utramq; illam mo-
dò publicæ rei atque salutis tesseram, sed juxta quoque
aurata signorum solemnia ORDINUM EQUESTRIUM, hu-
mi verrente peplo involvi & abscondi voluit, quæ de
vexillis dicenda supersunt, mœsto silentio transmittere,
quam plura parum decorè effari, consilium esse existi-
mavimus. Interim cum orbitati huic, qua concipi ma-
jor nulla potest, gaudium intercedere voluit etiam, qui
sine mixtura lucis, cœlum triste suum esse non finit *uni-
versi* SOSPITATOR, largiendo RECTOREM populo suo,
qui quantus sperabatur, tantum semet populo statim præ-
buit: quid est quod, ortâ luce & lætitia illa, lacrimis
non profuturis perfundi sinamus pectora nostra? De-
vovimus nuper vota, fortunas & desideria nostra augu-
sto PRINCIPI ADOLPHO FREDRICO ejusque REGIÆ
SOBOLI, in quâ CAROLO-GUSTAVORUM avitum decus
crescit indies & insigniter refulget. *Porriget uncto suo
vexil.*

vexillum **DEUS FORTIS**, *vexillum ipse populi sui* (b): fietque ut, sub auspicio illo, de invidis, si qui sint, & gloriæ suæ occurfantibus victoriam non ægre reportaturus sit. Misso superne palladio isto, versus nullos non casuum æstus, reipublicæ navis secura navigabit. Vivat cum **CONJUGE AUGUSTA**, *FEX ter amplius* sospes & felix, ejusque non nisi perpetuitate felicitas consummatur; ut seculi sub **ILLO** fœcunditas increseat, publica libertas, non interrupto pacis & justitiæ osculo, efflorescat! Ad summum: ut **ATAULPHUS** (**ADOLPHUS**) evadat, quod quondam **CÆSAR AUGUSTUS** erat (c), concita civium manus optat, illumque primum votorum suorum consensum, ut ad ultimum vitæ finem perferre possit (d), submissimè precatur!

(a) Werfvings *hisor.* **CAROLI IX.** pag. 202. (b) Psalm.

LX. 6. Exod. **XVII. 16.** (c) Orosius *hisor.* lib. **VII. fin.**

(d) Sveton. **AUGUST.** cap. 58. fin.



Emendanda.

Pag. 5. in not. lege: Jerem. 2: pro II. Pag. 6. lin. 5. consecratio & benedictio pro *benedictio & consecratio*. Quæ autem per unius alteriusve syllabæ aut literæ transpositionem pag 17. a capite ultimæ & penultimæ lineæ; item, quæ loco primore eodem, linea septima & octavâ paginæ sequentis, vitia irrepsere, rudi minervæ suæ adscribi *Officina* non repugnat. Tu modo culpæ & delicti gratiam facere correctoribus, cogitatione & animo non ipse dedigneris, *LECTOR benevole*.

